# DE REBUS LITURGICIS
# ORATIO

Pro Gradu Doctoratûs in S.S. THEOLOGIA, habita In Sacello COLLEGII REGII UNIVERSITATIS ABERDONENSIS, in Festo S. Epiphaniæ. *A. D.* 1714.

A

IO: SHARP Ecclesiæ Anglicanæ apud Americanos Presbytero.

*St. Matth.* 6. 9. ουτως ουν προσευχεσθε υμεις Πατερ ημων &c.
1 *Cor:* 14. 15. τί οὖν ἐςι, προσευξομαι τω πνευματι, προσευξομαι δὲ καὶ τῷ νοι

Cyp. de Orat. Dom. *Publica est nobis & COMMUNIS ORATIO, & quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus; quia totus populus unum sumus.*

ABREDEIS Excudebant Successores IOANNIS FORBESII URBIS & UNIVERSITATIS Typographi, *Anno Domini* 1714.

Imprimatur

GEO: MIDDLETON

AMPLISSIMO Et NOBILISSIMO VIRO

# CAROLO

## COMITI de ERROL:

## Domino HAY & SLAINS, Toparchæ CLOCH-TOW *&c.*

HAYORUM Gentis (*Arte* & *Marte* per tot ſecula claræ) *Principi* Digniſſimo, Heroicis Avorum factis (qui erga DEUM, *Regem* & *Patriam* intemeratæ ſemper erant *Fidei*) Conſtantiâ & Fortitudine Gloriam & Splendorem accumulanti: *ANTIQUI SCOTORUM REGNI* (jure Hæreditario) *CONSTABULARIO SUMMO.* Muſarum fautori, Doctorum Mæcenati & Patrono ſummè colendo. Inclytæ UNIVERSITATIS REGIÆ ABERDONENSIS *CANCELLARIO ILLUSTRISSIMO.*

NEC NON,

REVERENDO PLURIMUM

# GEORGIO MIDDLETON

S. T. P.

Facultatis Theologicæ DECANO Gravissimo, *Academiæ* PRIMARIO Vigilantissimo, Eruditissimo, Promotori suo semper honorando,

Et cæteris omnibus, *Inclytæ Universitatis* Moderatoribus, Doctoribus, Scientiarum & *Artium* Professoribus, Clarissimis & Excellentissimis, de se suisque studiis multùm Meritis.

Hanc Orationem Inauguralem
in debitæ Observantiæ, Studii
& Amoris Flammantissimi,
& Humillimæ Venerationis
τεκμήριον
Inscribit & Offert
IO: SHARP.

*Doctores admodum Reverendi, Professores Eruditissimi, Studiosi Lectissimi, Auditores Plurimum Colendi.*

DUM mecum meditarer, quod subjectum huic operi convenientius eligerem, nil satius duxi, nil *Loco* huic aut *Tempori* magis congruum & opportunum, quam de REBUS LITURGICIS (pro Ingenii mei tenuitate) quædam proferre.

Nec ignoro, quàm vana & fastidiosa sint de iis (in hisce præsertim Regionibus) multorum judicia, quàm invida & maligna nonnullorum. Sed cum non solum indulgeatur licentia, sed pro more demandatum mihi sit, coram hoc Reverendo & doctissimo coetu Orationem habere, uti *Ecclesiasticæ & Christianæ* veritatis & pacis studiosum decet, nec invidiosas calumnias metuam, nec laudes aut gratiam ambiam, sed veritatem (prout est) ex ipsis S. S. *Scripturæ* fontibus, ac *Patrum probatorumque authorum* Scriptis & Testimoniis enucleare conabor, & ut ad DEI Gloriam & *Ecclesiæ* commodum & emolumentum cedant, quæ ex sincero Corde erga ipsum, & erga vos grato & benevolo animo depromo, *Faxit* DEUS *per* CHRISTUM JESUM *Amen.*

Et 1*mo*. De vocis *Liturgiæ* significatione, sensu & acceptatione agendum. *Liturgiæ* vox, etsi cuivis publicæ administrationi

tioni à profanis Scriptoribus tribuatur, à Theologis tamen restinguitur ad ἱερεργιαν sacram, nempe administrationem quæ publicè peragitur. *Cassander.*

Λειτεργία, inquit *Suidas*, κυριως η δημοσια υπηρεσια παρα το λῃιτον και το εργον, i. e. *Liturgia* proprie dicitur officium seu Ministerium & munus publicum, à Voce λειτον quod publicum significat, & εργον quod est munus seu opus.

Ita legitur in Veteri Testamento, *Num.* 1. 50. de Levitis και αυτοι λειτεργησεσιν εν αυτῃ. Et ipsi Ministrabunt in eo, *i. e.* Tabernaculo. In N. T. *Act.* 13. 2. λειτεργουντων δε αυτων τῳ κυριῳ και νηστευοντων *Ministrantibus* illis Domino *Operantibus* secundum *Castalionem*, quod *Erasmus sacrificantibus* rectius transtulit. Item *Rom.* 15. 16. εις το ειναι λειτεργον Ιησȣ χριστȣ *Ut sim Liturgus Minister vel Sacerdos JESU CHRISTI.* In hoc igitur sensu & significatione accipimus Liturgiam, pro statutis *Ritibus* & *Formulis* divinarum administrationum in sacris, vel modo & methodo cultum divinum in cœtu publico præstandi & peragendi, & ex sequentibus probare conabor statas Liturgias in Ecclesiis Christianis non solum licitas, sed ad ordinem & ædificationem necessariò esse adhibendas, & hac methodo procedam.

1. Antiquitatem Liturgiarum monstrabo. 1mo. Sub lege vel dispensatione *Mosaica* in *Judæorum* Ecclesia. 2do. In Ecclesia Christiana.

2. Communem & universalem consensum Ecclesiæ Christianæ in Liturgiarum usu adducam.

3. Consensum & usum universalem quoad locum, nempe quod non solum *Semper*, sed quod *Ubique* cœtus Christianus ita DEUM colebat.

4. Liturgiarum utilitatem monstrare conabor.

5. Et postremo, objectiones præcipuas adducam & solvam.

## I. ANTIQUITAS.

Magnam esse *Antiquitatis* & *perpetuæ universalisque Traditionis* & consensûs authoritatem & *Vim*, etiam apud novorum, & in Ecclesia Christi inauditorum dogmatum inventores & defensores, vel hinc prospici potest, quod quidam dum eam vim sentirent & attenderent, quantumque apud pios & non prorsus obduratos animos valere possint, prospicerent; conati sunt ea, quæ contrariantur eorum judiciis tanquam nova & temporis progressu, vel in *Fide* vel in *Cultu* inducta repræsentare; mihi igitur incumbit probare statas Liturgias in usu fuisse apud *Omnes*, *ubique* & *omni tempore*. *Vincent. Lyrin.* Et

1. Quod *Judæi* statis Liturgiis, vel certis precationum formulis DEUM colebant, ex historia Ecclesiastica istius Gentis, & (in hunc usque diem) permanente consuetudine manifestum est.

Nam si Liturgia accipiatur pro laudibus & gratiarum actionibus, hæc faciebant *Judæi* quando offerebant sacrificia vel primitias, *Deut.*26. per totum, ubi variæ Eucharistiarum formulæ à DEO præscriptæ sunt, non *Directoria* quoad materiam, sed *Statæ* & certæ quoad formam.

Si pro obsecrationibus aut *Petitionibus*, quæ altera pars cultûs est, non toti populo concreditum hoc erat, sed solum Sacerdotibus, *Aaroni* et filiis, qui præscriptis verbis, et certa orandi formulâ populo benedicebant. *Num*: 6. 23. A propheta *Joele* 2. 17. inculcata est omnibus simul junctis expressa LITANIA.

Præcepit *Moyses* certas invocandi formulas, ad *Arcæ* translationem & stationem. *Num.* 10. 35. *Davidis* commentariis illustratæ *Psal.* 68. Psalmi *Davidici* sunt, maxima ex parte, *Liturgici*, ut patet ex plurimis eorum Epigraphis, titulis & instrumentis Musicis quibus aptabantur in cultu publico.

Secundum *Franc. Luc. Burgensem* in absolutissimis suis Commentariis in *Evangelia*, Hymnus quem Psallebat Salvator CHRISTUS cum suis Apostolis, post ultimam Cœnam erat secundum consuetudinem *Judæorum*, in Festo Paschæ à Psalmo 112. ad 119. Et

Et ne plura addam, *Ezechias* præcepit *Levitis* ut laudarent Dominum, non ad dictamen *Raptûs extemporarii*, sed sermonibus *David* & *Asaph Videntis*, *qui laudaverunt eum magna lætitia, & incurvato genu adoraverunt eum.* 2 Paralipom. 29. 30.

Qui in Antiquitatibus Hebraicis, vel mediocriter versati sunt, aut hodiernam illorum praxin, vel leviter inspiciunt, certò illis evidens et manifestum erit, ipsos statas precationum formulas vel *Liturgias* in cultu publico adhibere.

Sed cum Oratio, sit pars *Contemplationis*, & sic pertineat ad viros *Contemplativos*, anhelantes ad perfectionem *Tolet*: cum status *Judaicus* respectu dispensationis *Evangelicæ* fuerat imperfectus, exteriora respiciens, & ipse Salvator dixerit *Jo.* 4. 23. *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores, adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, nam & Pater tales quærit qui adorent Eum.*

Restat igitur ut *Statas Liturgias* non solùm sub *Lege* in Ecclesia *Judaica*, sed sub *Evangelio* in Ecclesiis Christianis licitas, adhibitas & usitatas fuisse probem.

Quod tempore Apostolorum, dum eorum aliqui adhuc in vivis essent, institutæ & in omni *Ecclesia* ad hunc usque diem, receptæ & usitatæ fuerunt statæ *Liturgiæ*, Traditio universalis, usus & consuetudo *Ecclesiæ*, *Christianæ Catholicæ* dubitare non sinunt. Et quanquam mores & Traditiones, Ritus & Ceremoniæ particulares mutantur, variantur & variari possunt in diversis Ecclesiis, nulla tamen est potestas in *Traditiones Generales*, quæ proximè ad ipsas Scripturas Sacras, ab omnibus Christianis sobriis, *Sacræ* & *Inviolabiles* semper habentur; quemadmodum admonet *D. Aug. Ep.* 118. *c.* 5. *Insolentissimæ est Insaniæ disputare vel dubitare de eo, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

Monstrare igitur conabor quod *Ecclesia Christiana* statis LITURGIIS omni *Tempore* in conventu publico DEUM Colebat.

2*do.* Quod ubique & in omni *Loco*.

1. UNIVERSALITAS TEMPORIS. Et ita testatur *Dionys. Areopagita* si ejus sint libri, de *Hierarchia Evangelica pag.* 77. *Quod statutæ essent precum formulæ quibus omnis cætus respondebat AMEN.* Si hic *Dionys.* fuit Author, coætaneus erat Apostolorum, si non fuit, opus illud, utcunque antiquum admodum est, & ab ipsis temporibus Apostolicis.

*Justin. Martyr, Apol.* 2. *p.* 97. *Ed. Gr. Lat. A. C.* 150. *Tert. Apologet. c.* 39. *A. C.* 200. *D. Cyprianus de Oratione Dominica. Origen. Hom.* 5. *in Mun. A. C.* 230. *Concil. Laodic. Can.* 18. 10. *A. C.* 316. *D. Basil. Epist. ad Clericos Neo-Cæsariensis Ecclesiæ, & D. Chrysost.* eodem tempore. *D. Cyrillus Hierosolymitanus.* 3. *Concil. Carthag. Can.* 23. *A. C* 397. *D. August. de bono perseverantiæ c.* 13. *& Ep.* 59. *&* 156. *Anno* 400. *Concil. Milevitan.* 2. *Can.* 12. à quo tempore non inficiantur adversarii *statas Liturgias*, Divino cultui in publicis Ecclesiæ conventibus adhibitas fuisse.

2. UNIVERSALITAS LOCI. Quod in omni Loco, in omni Ecclesia Catholica, fuerant *Statæ Liturgiæ*, apparet ex consentienti testimonio Patrum ante dictorum, ex Conciliis, & praxi Ecclesiarum in *Asia, Africa* & *Europa*, ut *Justinus Martyr, Basil. & Chrysost.* in *Græca* vel *ORIENTALI*, *Tert. Cypr. Aug. & Prosper Aquitanus in* OCCIDENTALI, & *D. Basil.* loco citato expressè ait, quod, *Ordo Psalmos recitandi, antiqua & solita esset consuetudo in omnibus DEI Ecclesiis.* Et ex *Tert. in Apol. c.* 30. *& Cassandro* in Liturgicis constat, Apostolos & eorum successores, in suis conventibus & præsertim in *SAGRA SYNAXI* observasse eam fixam, orandi formulam, quam dictavit Salvator suis discipulis. *Luc.* 11. 2.

Et quemadmodum diligenter inquirenti constabit, plurimæ formularum ex Liturgiis. *Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Rom. &c.* ad hunc usque diem, delibatæ in Liturgia Ecclesiæ *Anglicanæ* contesserantur. *Tert.* loco citato dicit, quod *Presbytero* in sacris invitanti *Sursum Corda*, populus responderet *Habemus ad Dominum.* Quod Presbytero dicenti κυριε ελεησον, populus responderet χριστε ελεησον, ex ipsius scriptis constat antiquius fuisse tempore *Gregorii.*

Ita pro fidelibus, infidelibus, *Catechumenis, Neophytis*, et ipsis fidei

 inimicis

inimicis orabant, quemadmodum in Liturgia nostra ad diem passionis Dominicæ. Ita dicit *D. Aug. Nulla pars Ecclesiæ Dominicæ in qua non est concordantia in formis.* Et ita concludunt *Madeburgenses*, post exactam hujus rei investigationem, *Formulas denique precationum, absque dubio habuerunt* Cent. 3. cap. 6. 1. 2. 4.

Neque plura addam, ad probandam consuetudinem & praxin universalem & perpetuam in hunc usque diem per omnes totius Terrarum orbis quæ extant Ecclesias: extant enim ultra *Romanam* ditionem permultæ. *Græca* nempe per *Asiam*, *Syriam* & *Ægyptum*, *Muscovitarum* qui *Græcas* constitutiones servant, et denique *Æthiopum* aut *Abyssinorum* et *Pretiosi Johannis* ( *Prester John Vulgo dicti* ) imperio subditorum. Omnes hæ Gentes Christianæ professionis, quamquam nonnullis opinionibus et ritibus, inter se disjunctæ sint, omnes tamen Statis Liturgiis secundum consuetudinem antiquam DEUM colunt.

Sed ut adhæc nostra tempora deducatur argumentum, *Consensus nempe Ecclesiasticus*. In omnibus Ecclesiis REFORMATIS asservantur Liturgiæ. Ecclesia *Angl.* Reformatæ Religionis decus tutamen, et ornamentum, suam habet ex ipsis *S.* Scripturæ fontibus, et antiquorum ( uti dixi ) Liturgiis contextam, et expensam, à syncerissimis ejus Ecclesiæ Episcopis, & Presbyteris, quorum plurimi Martyrium passi sunt. Suam habet ECCLESIA SCOTICANA, quam CAROLUS I. Martyr beatus, Ecclesiæ Pater nutricius Æternæ Memoriæ, et Religionis Orthodoxæ industrius propagator, summa pietate formari curavit, ut plurimùm eadem est cum Lyturgia Ecclesiæ *Angl.* antiquarum formularum, copia et consuetudini Ecclesiasticæ conformitate nulli secunda.

Ecclesia *Lutherana* suam habet, ab ejus Reformatoris temporibus, & Ecclesia *Gallicana* Reformata suam, uti *Belgica* suam. Sic *Helveti* aut *Switzeri* eandem, quam Ecclesia *Genevensis* à *Calvino* institutam, & nuper *Cl. D. Ostervald*, vir egregiè literatus & summe pius, novam & ampliorem *Communium precum Formulam*, cœtui publico accomodatiorem paravit, & ( ope divina) in Ecclesias omnes provinciæ *Neufchattel* receptas stabilivit. Suas habent Liturgias omnes Ecclesiæ ( nam hic de Liturgiis, in

genere

genere disputatur. In Eccl. Rom. antiquitus diversæ erant Liturgiæ, *Mediolanense*, *Ambrosianum*, *Gallicanum*, *Hispanicum*, *Mozarabicum* aut *Toletanum*, de quibus *Gregor. Ep. ad Leand. In una Ecclesia nil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa:* Præter Ecclesiam Orientalem & Romanam, omnes *Reformati* cujuscunque gentis, exceptis *Schismaticis* Britannicæ Ecclesiæ Liturgias probant. Missale non

Ipse *Cal. in Epist. ad Protectorem, statam esse oportet Sacramentorum celebrationem, publicam item precum formulam.*

*Chamierus* primus inter Reformatores in *Gallia Panstrat: Cathol. Tom. 3. l. 5. c. 12. S. 10.* Super *Act. 1. 14. Si uno orabant, Ergo, Una & Communis erat omnibus Formula.*

*Knoxius* ipse, qui primus fuit inter Reformatores hujus Regni, librum *Precum Publicarum* præscripsit, tantum abhorrebant puriores doctrinæ cupidi investigatores, hujus temporis affectatam rusticitatem, & circa cultum divinum incuriam & negligentiam, oppositionem dico affectatam, & Antiquæ Universalisque Ecclesiæ Consuetudini & Praxi contrariam.

Jam 3tio. UTILITAS. Liturgiæ Publicæ, & præscriptæ Communium Orationum Formulæ, maximè faciunt ad Ædificationem. Per statas enim Precationum Formulas, plurima incommoda vitantur, quæ obvenire possunt ex *Precibus Extemporaneis*. Et hoc, facta comparatione inter preces *Arreptitias*, dictamina privati spiritûs, & preces Liturgicas & publicas, melius elucescet.

Nam 1. Præceptum est Apostolicum, ut in Ecclesia, *Omnia fiant ad Ædificationem.* Jam cum in cœtu publico, Christiani in formis publicis, bene instructi fuerint, acceptissimum DEO sacrificium, in *Conjunctis* supplicationibus præstabunt: melius possunt Sacerdotem, in sacris exercitiis, ardore & intentione quadam Spiritûs comitari, quam cum extempore loquitur. Plurima verba, integræ petitiones, vel ex vocis debilitate, vel aurium hebitate, vel loci distantia, vel sitûs incommoditate amittuntur. Torpor irrepit auditorum animis, quum nihil fit quod ipsi agant, sed ab orantis fluctuante conatu; & huc illuc delato Spiritu, toti pendeant.

Et 2. Spiritus auditorum adstrictus & limitatus est, ad ipsius Ministrantis placita, quæ sæpe inaudita, sæpe ante rationis

assensum

assensum pereunt. Novis petitionibus audiendis occupati, nullum possunt præbere assensum. Dum attenditur una, transit altera. Si corporis aut animi languor Ministrum premat, si vel impius fuerit, vel imperitus, plebs ad DEI cultum, & adorationem Congregata, irrita prorsus recedit. At qui statis Liturgiis DEUM colunt, & in descriptis hisce Formulis periti, illorum mens attenta, clamore humili Cœlos penetrat.

3. Tales arreptitiæ preces, sunt particularis istius cœtus (vel Ministri potius) cultus, oratione sola Dominicâ (modò adhibeatur) exceptâ. Sed quæ in formis auditis, receptis. judicatis et DEI Verbo (fidei et cultus regulæ) congruis DEUM colit, tenet plebs illa, actualem Communionem cum Ecclesia cujus est membrum, et *universali Ecclesia*, cujus sunt, vel fuerunt preces.

4. Non propriè dici potest Liturgus, Sacerdos, vel Intercessor inter DEUM et homines, qui suos conceptus, quam qui communes populi orationes, communia suffragia, et supplicationes offert, et tales quibus et Idiotæ, ex certa notitia, æque ac peritia dicere possunt, *Amen*. Sic *Just*: *Martyr Apol.* 2. vocat Eccl. preces κοινὰς εὐχὰς communes preces. Sic *Chrys*. in Coll. ult.

Schismatici verò os populi omnino occludunt in Sacris, contra Catholicæ et purissimæ Ecclesiæ Consuetudinem et mores, quibus (ut hactenus notavi) receptissimum erat populo vices reddere Liturgo celebranti & oranti: Sed ut, Sacra dominandi libidine Romanum Pontificem incessente, hic ferè primum suæ Tyrannidis, et implicitæ obedientiæ lapidem posuit, ut singulæ Ecclesiæ *Latinè* preces celebrent, in signum deditionis; sic illi *Imperium quoque affectantes*, ita cavent preces DEO fundi, ut populus miser, suo unius ore & fide pendeat; nec debeat, nec possit voces reddere, nec vota, quibus mutuò Sacerdos & Laici se antiquitus accendebant & ædificabant, nec auditur simplicissimum *Amen*, utcunque inconditis et crudis Ministrorum suorum dictis, non auditis, non intellectis, non ferendis plerunque annuere, credula et servili superstitione, submonentur.

Bene statuit *Concil. Milevit. Can.* 15. *A. C.* 402. Nec aliæ dicantur *Preces in Ecclesia; quàm quæ à prudentioribus omnibus tractatæ vel probatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam vel per minus studium sit compositum.* 5. Si

5. Si omnes precationum formulæ sunt rejiciendæ, ergo quoque Oratio Dominica, quæ erat forma præscripta ab ipso Salvatore, *Luc.* 11. 2. Sed hoc est absurdum, et *Christianis auribus* indignum. Ergo. Alia argumenta ab absurdo omittam & ad Objectiones ultimo loco solvendas procedam.

## OBJECTIONES.

Qui statas Liturgias rejiciunt, et ex Ecclesiis Christianis eliminare contendunt, plurimas astruunt objectiones, præsertim quod sint hominum inventa et ἐθελοθρησκίαν inducant.

Generalem et præcipuam objectionem fingunt ex verbis *Pauli* ad *Rom.* 8. 26. *Similiter autem Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*, dicunt ergo Adversarii quod fixæ et statutæ precationum formulæ, Spiritum hunc precum extinguunt et intercludunt.

Sed Resp. Spiritus hic, non est Spiritus *Dictans* sed *Assistens*, datur quod est Spiritus Orationis, & quod necessarium sit hujus Spiritus opus et auxilium, ad *Assistentiam & Efficaciam* precum ut ordinentur et accepti sint Coram DEO. *Spiritus Orationis*, est gratia procedens à Corde inflammato et attracto. - Non in operatione cerebri, non in phrasium elegantia, verborum copia, periodorum numerosa structura, voce, gesticulatione *&c. Spirtus Orationis*, est Spiritus subveniens nostris orationibus, & Idoneos nos reddens, Cor et Animam sanctificando, sed non inde sequitur, quod officium Spiritûs sit verba dictare, phrases et Eloquentiam Ministrare *Gratia Orationis*, est assistentia Spiritûs, qua ferventes & spirituales clamores ad DEUM emittimus. etiam in ipsis illis supplicationibus, quas millies (*forte*) absque debita reverentia, hactenus recitavimus, quæ debita affectio & devotio, sola potest orationem acceptam reddere ; & cum Spiritus ita nobis auxilietur, verè dicitur *Intercessionem Facere*, tanquam agens præcipuum quod hanc dispositionem in nobis operatur.

2. Verba hæc Apostoli *Quid oremus sicut oportet nescimus*, neque accipienda sunt quoad *Materiam*, nec quoad *Formam*. Nam ipse Servator, Apostolis suis dictavit fixam orandi formu-

lam

lam. Sed *Nescimus orare sicut oportet*, animi dispositionem puritatem, perfectam abnegationem, humilitatem, et alias internas animæ dispositiones respicit, nempe fervorem, & unionem, opus divini Spiritûs in Cordibus fidelium.

3. Spiritus postulat pro nobis *Gemitibus inenarrabilibus*. Nulla hic verborum aut phrasium mentio; quis inde deduceret, quod solis gemitibus DEUM orarent, qui verè spirituales essent? aut quis in coetu publico Minister, precum loco gemibundus per tempus aliquod perstaret? Spiritus instruit nos in S. Scriptura quoad *Materiam*, & affectione sincera, nos ducit & dirigit quoad *Formam*.

2. *Obj.* 1 *Cor.* 14, 15. *Orabo Spiritu, orabo & mente, Psallam Spiritu, Psallam & mente.*

*Resp.* Eundem Spiritum hic quærit Apostolus, ad *Psalmodiam* quam ad *Orationem*, ergo non verborum copiam, et impetum extemporaneum, sed Cor bene dispositum, hæc verba respiciunt.

Sed quare (quæso) non eodem Spiritus dono, & charismate *Novos Psalmos* et inaudita (ex tempore) fundunt modulamina, quemadmodum donorum sæculo apud *Tertullianum* in *Agapis* fuisse legitur? Mira sane est hæc modestia, quod *Liturgiarum* osores suas *Extemporaneas* preces, ex Spiritu procedere jactantes, nunquam tale quidpiam moliti sunt. Quod *Carmina*, numero et mensurâ non disponunt, culpat audaciam, quâ quotidie novas *Precationes* DEO offerunt, cum eadem sit Scriptura, idem textus, par ratio, et antiquitatis testimonia adeò expressè loquantur, de *Psallendo* ac de *Precando*.

Hæ sunt *Objectiones* præcipuæ. Tempus non patitur alias adducere. Finem igitur imponam. Nulla unquam in Ecclesiâ Christi, ante hæc nostra tempora, mota fuerunt dubia, de *Liturgiis* Sacræ Scripturæ analogis, quin fuerint non licitæ modò sed & ad Ecclesiæ ædificationem necessariæ. At eousque jam prolata sunt de iis dissidia, ut vinculum inde pacis diruptum, & ipsa fere unitas Ecclesiæ destructa esse videatur.

Hæc controversia malè temperato quorundam Zelo suscitata nusquam, nisi in hac nostra *Ecclesiâ Britannica* viget. Nec dictu facile est quantas, & quam diras calamitates passa sit Ecclesia

&

& Respublica ex arroganti Presbyterorum fastu, qui statutos *Ecclesiæ Canones*, & *Regni jura* transilientes, nullis legibus adstricti, divinum *Cultum* in conventibus publicis, pro suo quisque arbitrio, modificare ausi sunt. Sed verba duriora reprimo, dum patitur Ecclesia, Lachrymis potius indulgendum.

Divinas verum DEO laudes offerre cupio, quod post quatuordecim fere Annorum peregrinationem, natale solum revisens, Ecclesiam reviviscentem lætus conspicio, & (benedictione divina purgatam) sub *Cruce*, plusquam in *Luce* profecisse. Et ex ordinatissima Liturgia, ubique per Regnum recepta, & antiquæ pietatis ardore, in plurimis flagrante, sperandum, quod ad pristinum decus & simplicitatem, Ecclesia hæc nostra, magis magisque indies accedet. Statuto & maxime opportuno tempore, procedunt omnia opera divina Ps. 80. 18. *Fiat manus tua super virum Dextræ tuæ & super Filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus à te Domine, vivificabis nos & nomen Tuum invocabimus.*

Jam tandem, ne limites transgrediar, restat, ut si tanto par essem, debitas rependerem grates, *Reverende admodum facultatis Theologiæ Decane, vosque Professores Almæ hujus Academiæ, Eruditione clari*, quod me (nec tantâ de vobis meritum) prosecuti estis benevolentia, quod tali dignati estis honore, quod pileo hoc condecoratum inter Doctores *Aberdonenses* (*Magna illa Ecclesiæ Scoticanæ lumina*) nomen meum, in solenni hoc Senatus Academici consessu, & auditorum Ornatissimorum frequenti Conventu reponatis.

Scio equidem non defuturos qui merito dicant, Tunè ad tam sublimem aspiras titulum? Tunè ex incultis (& ultra Scythiam barbaris) *Americanorum* oris, novus hospes, hanc dignitatem affectas, neque inferioris notæ *Academias*, sed Illustrissimam hanc *Regiam Palæo-Aberdonensem*, *Athenas olim Caledoniæ*, & studiorum gloriam Sollicitas, ut ad altiores gradus hic promovearis?

Ad me quod attinet, inter doctos & disertos, nullum mihi locum vendico, quantulum cunque mihi vel cognitionis, vel ad cognoscendum bonæ voluntatis: Sed illi acceptum refero, cujus gratia sum id quod sum. Quem pro meo modulo laudare, cujus veritatem promovere, semper & ubique conabor.

Et si cordis mei dispositiones mihi notæ sint, ingenuè profiteri

possum

possum, quod me neque traxit ambitio, nec pellebat superbia; Sed ut Ecclesiæ ulterius prodesse valerem, quanto Celeberrimæ hujus Academiæ, ornatior Amicitiis.

Pro quibus dum pares referre gratias nullo modo possum, accipite, Viri Clarissimi, pro incolumitate vestrâ, mea vota, grati animi indicia.

Venerande Primarie, Musarum Nutritie Pater qui regularem hic Disciplinam dirigis, promoves, foves.

Progymnasiarcha Literatissime, Præceptor mihi Charissime, sub cujus vigili cura disciplinarum elementa primum addidici.

Vosque Professores Academici, Eruditione clari; mihi plurimum colendi.

DEUS Op. Max. ad majorem nominis sui gloriam Academiæ hujus Splendorem, Doctrinæ Orthodoxæ, & morum probitatis incrementum, ad multos Annos *Dom. Vest.* servet incolumes. Detque animos strenuè & fortiter, ea exequendi quæ vestri officii sunt; Ut cum DEUS villicationis vobis concreditæ rationem poposcerit, foelicitatem cum gaudio suscipiatis æternam.

Floreat, semper Floreat, ALMA HÆC ACADEMIA omnigena benedictione ditata. Det DEUS ut ex hisce *Fontibus* promanent rivuli, qui terras desertas & *Inaquosas* foecundo flumine irrigant. Hinc procedant fortes Athletæ, ex numero fortium Israel; ad bella gerenda contra *Satanæ* regnum, Infidelitatis, Ignorantiæ, & Erroris, qui damnatis illusionibus ac vanis & insanis soeculi pompis, spretis & mollioris vitæ institutis, & amicorum familiaritate, in loca longè dissita peregrinantes CHRISTI Evangelium promoveant.

*Filii Tui*, Dilecta Mater, *Sint sicut Novellæ Olivarum in circuitu Mensæ Tuæ, & videant Filii Filiorum Tuorum pacem super Israel.*

*DEUS verò Pacis qui ex mortuis revocavit magnum illum ovium Pastorem per æterni Testamenti Sanguinem; Dominum nostrum JESUM CHRISTUM: nos ritè componat in omnibus rectè factis, ad exequendam suam voluntatem, nobis ( ut ei visum fuerit ) faciens per JESUM CHRISTUM cui Gloria in omnem perennitatem* Amen.

FINIS.